Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Legenda Aurea - Cod. Aug. perg. 256

Jacobus <de Voragine>

[S.l.], [14. Jahrh.]

De sancto Saturnino

urn:nbn:de:bsz:31-66161

Visual Library

putavit. Secundo fuit admirabilis in eloquen-
tia. Habuit enim eloquentiam copiosissimam in
predicando, sicut patet in suis predicationibus;
dulcissimam in reddendo, sicut patet
cum diceretur imperatori: Quintus Sextus tempore
manu artificum fabricatum etc.; sua-
vissimam in attrahendo, sicut patet in porphi-
rio et in regina, quos eloquii sui suavita-
te ad fidem attraxit; efficacissimam in
convincendo, sicut patet in rhetoribus, quos tam po-
tenter convicit. Tertio in constantia fuit con-
stantissima in minis, ut patet quia ip-
sas contempsit, unde imperatori se minan-
ti sic respondit: Quecumque tormenta potes
excogitare ne differas, quia carnem et
sanguinem meum Christo offerre desidero, sicut fac-
tus est pro me; ipse enim conceptus pater est meus et
debeo ad omnia sustinenda. Secundo in donis
oblatis, quia respuit, unde cum imperator
se promitteret quod eam in palatio secum habe-
ret, audivit: Desine loqui talia, quod scelus est
cogitare etc. Tertio in suppliciis irro-
gatis, quia ea sprevit, sicut patet cum fuit po-
sita in carcere et in rota. ¶ Quarto in
munditia castitatis. Servavit enim cas-
titatem inter que castitas periclitari solet.
Que sunt quinque in quibus castitas periclitatur, scilicet
affluentia divitiarum, opportunitas
inducens, iuventus lasciviens, libertas
effrenis, pulchritudo alliciens. Inter
hec beata katherina virginitatem servavit. Ha-
buit enim affluentiam maximam, quia ut po-
te que erat ditissimis parentibus successu-
ra. Habuit opportunitatem ut pote que fuit
domina, tota die inter suos famulos con-
versabatur. Habuit etiam etatem iuvenile;
item sui libertatem quia sola et libera in pa-
latio remansit. De hiis ultimis dicitur supra:
katherina cum esset annorum xviii in pa-
latio divitiis et pluribus plena sola

permansit. Habuit etiam pulchritudinem,
unde dicitur: Que erat speciosa valde et in-
credibili pulchritudine omnium oculis
admirabilis videbatur. Quinto in
privilegio dignitatis. Quedam enim privi-
legia specialia fuerunt in aliquibus sanctis cum deces-
derent, ut Christi visitatio, quod fuit in Iohanne
evangelista; olei emanatio, quod fuit
in beato Nicolao; lactis effusio, quod fuit
in beato Paulo; sepulchri preparatio, quod fuit
in beato Clemente; petitionum exauditio,
quod fuit in beata Margaretha, quando oravit
pro agentibus sui memoriam. Hec autem si-
mul fuerunt in beata Katherina, sicut patet in
legenda. ¶ Dubitatur autem hic apud ali-
quos utrum a Maxentio vel a Maximino
martirizata sit. Tunc enim tres imperium te-
nebant, scilicet Constantinus qui ex paterna succes-
sione imperium susceperat, Maxentius Maxi-
miani filius a pretorianis militibus Rome
augustus appellatus, et Maximinus
in orientis partibus Cesar effectus. Secundum autem
cronicas Maxentius Rome, Maximi-
nus vero in oriente tirannide ex-
ercebat. Videtur quod ut aliquibus placet
quod vicio scriptoris factum sit ut pro
Maximino Maxentius ponetur. De
Saturnino. De sancto Saturnino.

Saturninus ab apostolorum discipulis episcopus ordi-
natus in urbe Tholosana directus
est. Cum autem ipso ingrediente demones
a responsis cessarent, unus gentilium dixit:
Quod nisi Saturninum occiderent, a dijs
suis nichil penitus obtinerent. Apprehen-
dentes igitur Saturninum, nolentem sacri-
ficare, ad pedes thauri ligaverunt,
qui cum stimulis agitatus a arce per gra-
dus capitolii precipitatur. Sic que
capite contrito et cerebro excus-
so martirium consummavit. Cuius cor-

De sancto Saturnino.

due femine rapientes in profundo lo
co propter metum gentilium absconderunt. Eius vero
successores eum ad locum eminentiorem
transtulerunt. ¶ Fuit alius saturninus quem
rome prefectus diu in carcere maceratum in
eculeo levari iussit fustibus et scorpio
nibus cedi fecit. Deinde lateribus adustis
depositum de eculeo decollari precepit
circa annos domini cc.lxxxviii. sub maximi
ano. ¶ Fuit et alius saturninus apud affricam
frater sancti satiri qui cum predicto fratre suo et revo
cato et felicitate sorore dicti revocati
et cum perpetua genere nobili mar
tirium passus est. Quorum passio alio
tempore potissimum recolitur. Cum igitur proconsul
sui eis diceret ut ydolis immolarent
et illi nullatenus assentirent in carcerem
missi sunt. Quod audiens pater perpetue ad
carcerem flens cucurrit dicens. filia quid
fecisti dehonestasti genus tuum. Numquam
aliquis de genere tuo in carcerem missus fuit.
Cum autem audisset quod christiana esset in eam cum
impetu digitis ad oculos irruit et
ei oculos eruere voluit et exclamans
egressus est. Vidit autem beata perpetua huius
modi visionem quam in crastino sociis enar
ravit dicens. Vidi scalam auream mi
rabili altitudine usque ad celum erec
tam que adeo angusta erat hinc inde cultri et gla
dii ferrei limati et acuti ita ut ascen
dens dextra vel in sinistra nullatenus respicere po
terat. Sed semper ad celum erectum stare o
portebat. Sub ea draco de terribilis et ingen
tis forme iacebat et pre timore quilibet
ascendere formidabat. Vidi et sati
rum per eam ascendere usque sursum et respi
cientem ad nos et dicentem. Nolite timere
hunc draconem sed securi ascendite ut me
cum esse possitis. Hec audientes omnes gratias
egerunt quia se vocatos ad martirium

cognoverunt. Presentati igitur iudici cum sacri
ficare nollent fecit saturninum cum aliis
viris a mulieribus separari et felicita
ti dixit. Habes virum. Et illa. Habeo sed contemp
no. Cui iudex. Miserere tui puella ut
vivas maxime cum infantem in utero habeas.
Ad quem illa. Fac de me quidquid vis quia ad
tuam voluntatem numquam trahere me va
lebis. Parentes autem beate perpetue et vir eius
accurrentes parvulum beate perpetue quem
adhuc lactabat adduxerunt. Et videns
pater eam prosternens se in faciem dixit.
Filia mea dulcissima miserere mei
et huius miserrime matris tue et huius miser
rimi viri tui qui post te vivere non vale
bit. Perpetua vero immobilis stabat. Tunc
pater filium ad collum eius iactavit et ipse
matre et marito eius manus tenentes et flen
tes osculabantur eam dicentes. Miserere nostri
filia et vive nobiscum. At illa proiciens
parvulum et illos repellens ait. Disce
dite a me inimici dei quia non novi vos.
Videns ergo prefectus eorum constantiam diu
tissime verberatos in carcerem posuit.
Sancti autem de plurimum metuentes de felici
tate que iam viii. mensibus pregnans erat
pro ea oraverunt et dolores partus subito in
eam irruunt peperitque filium vivum. Cui
unus de custodibus dixit ad eam. Quid facies
cum ante prefectum veneris si nunc tam graviter
clamas. Respondit felicitas. Hic ego pro
me patior ibi vero pro me patietur deus. Educun
tur igitur de carcere ligatis post tergum ma
nibus et nudatis vestibus per plateas
ducuntur. Et dimissis bestiis satu
rus et perpetua a leonibus devorantur.
Revocatus et felicitas a leopardis
comeduntur. Beatus vero saturninus gladio ca
pite truncatur circa annos domini cc.lvi.
sub valiano et galieno imperatoribus.

De sancto Jacobo interciso

Jacobus martir cognomento intercisus nobilis genere sed fide nobilior ex regione persarum et civitate Elape oriundus fuit. Hic ex christianissimis parentibus ortus et uxorem christianissimam habuit. Erat enim notissimus regi persarum et inter optimates primus. Accidit autem ut a principe nimio amore seductus et ad colendum ydola flecteretur. Hoc autem mater et uxor audientes protinus sibi per litteras dixerunt. Obediendo mortali deseruisti eum qui vita est, placendo futuro cibo putredinis deseruisti sempiternum odorem, veritatem in mendacium commutasti et mortali obtemperans vivorum ac mortuorum iudicem reliquisti. Scias igitur quod nos amodo te futuras exteras nec tecum deinceps aliquatenus moraturas. Cum autem has litteras Jacobus legisset amare flens ait: Si mater que me genuit et uxor mea tamquam extranee facte sunt, quanto magis a me extraneus factus est deus meus. Ergo cum pro errore suo se plurimum affligeret, nuntius venit ad principem qui dixit Jacobum christianum esse. Quem princeps ad vocatum dixit: Dic mihi, nazarenus es? Cui Jacobus: Etiam nazarenus sum. Et ille: Ergo magus es. Cui Jacobus: Absit a me magum esse. Cumque ei multa supplicia minaretur, dixit Jacobus: Non me gravant mine tue, quia sicut ventus si super petram fuerit, [?] aures meas cito pertransit. Cui princeps: Noli insipienter agere ne gravi morte pereas. Cui Jacobus: Hoc non mors sed somnus potius est dicendum, cum post modicum resurrectio tribuatur. Cui princeps: Non te seducant nazareni dicentes mortem somnum, quia magni imperatores timent. Cui Jacobus: Nos non timemus qui de morte ad vitam transire speramus. Tunc princeps de consilio amicorum hanc sententiam in Jacobum tulit scilicet ut ad aliorum terrorem Jacobus membratim puniatur. Cum autem quidam ex compassione secum flerent, ille ait: Nolite super me flere, sed vos ipsos plangite, quia ego ad vitam pergo et vobis supplicia eterna debentur. Tunc carnifices pollicem manus eius dextre absciderunt. Et clamans Jacobus ait: Liberator nazarene suscipe ramum arboris misericordie tue. Nam a cultore vitis sarmentum abscinditur inutilis ut plus germinet et uberius coronetur. Cui carnifex: Si assentire vis, adhuc tibi parco et medicamentum adhibeo. Cui Jacobus: Numquid non perspexisti stipitem vitis, quia cum amputantur sarmenta, ille nodus qui remanet in suo tempore cum terra calescit, rapit per singula abscisionis loca producit germina. Si igitur vitis amputatur ut in vicissitudine temporis germinet, quanto magis fidelis homo qui in vera vite est Christo pactus est. Tunc accedens carnifex secundum abscidit digitum. Sanctus autem Jacobus dixit: Suscipe duos ramos quos plantavit dextera tua domine. Abscidit et tertium et dixit Jacobus: Vexatus temptatione liberatus benedicam patri et filio et spiritui sancto. Et cum tribus decantabo pueris [?]tebor et dixit et in choro martyrum psallam nomini tuo domine. Abscisus est et quartus, et Jacobus dixit: Protector filiorum Israel qui quarta benedictione pronunciatur, suscipe a servo tuo confessionem quarti digiti tamquam in Juda benedictam. Absciso quinto dixit: Completum est gaudium meum. Tunc carnifices dixerunt ei: Parce iam nunc anime tue ne pereas. Nec contristeris si unam manum amisisti quoniam multi sunt qui unam manum habentes et multis divitiis et honoribus habun

De sancto Jacobo interciso.